Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



lu

dixit autem ad mulierem fides tua te saluam fecit vade in pace Et
factum est deinceps et ipse iter faciebat V·III·
et circuibat ciuitates et castella predicans et euangelizans regnum dei
et duodecim cum illo et mulieres aliquot que erant curate a spi
ritibus malignis et infirmitatibus Maria que vocatur magdalene de qua
septem demonia eiecerant et Johanna vxor chuse procuratoris herodis
et Susanna et alie multe que ministrabant eis de facultatibus suis
Cum autem turba plurima conueniret et de ciuitatibus properarent ad eum
dixit per similitudinem Exiit qui seminat seminare semen suum et dum
seminat aliud cecidit secus viam et conculcatum est et volucres celi
comederunt illud Aliud cecidit super petram et natum aruit quia non
habuit humorem et aliud cecidit inter spinas et simul exorte spine suffo
cauerunt illud · Et aliud cecidit in terram bonam · et ortum fructum
centuplum Hec dicens clamabat Qui habet aures audiendi audiat
Interrogabant autem eum discipuli eius quid esset hec parabola · Ipse
dixit Vobis datum est nosse mysterium regni dei · Ceteris autem in parabolis
ut videntes non videant et audientes non intelligant Est autem hec par
abola Semen est verbum dei Qui autem secus viam hii sunt qui audiunt
deinde venit diabolus et tollit verbum de corde eorum ne credentes sal
ui fiant Nam quid super petram hii sunt qui cum audierint cum gaudio
suscipiunt verbum et hii radices non habent · qui ad tempus credunt
et in tempore tentationis recedunt Quod autem in spinis cecidit hii
sunt qui audiunt · et a solicitudinibus et diuitiis et voluptatibus vite
euntes suffocantur et non referunt fructum Quod autem in terram bonam
hii sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum
afferunt in patientia Nemo autem lucernam accendens operit eam vasi · aut
subtus lectum ponit sed super candelabrum ut intrantes videant lumen
Non est enim occultum quod non manifestetur nec absconditum quod non
agnoscatur et in palam veniat Videte ergo quomodo audiatis Qui
enim habet dabitur illi et qui non habet etiam quod putat se habere
auferetur ab eo Venerunt autem ad eum mater et fratres eius et non poterant
adire eum propter turbam et nuntiatum est ei Mater tua et fratres tui
stant foris querentes te nunc Qui respondens dixit ad illos Mater
mea et fratres mei hii sunt qui verbum dei audiunt et faciunt
Factum est autem in vna dierum et ipse ascendit in nauicula et